

Ad Philippum.

stissimo nomini dedicetur & consecretur. Accepit iam vita hominum, consuetudoque communis, ut qui cogitationes suas scriptis mandare, atque in vulgus edere instituunt, patronos prius ex ipsa nobilitate, virisque primarijs diligenter consecrentur. Alij vero illud obseruantia genus maximum atque praecipuum iudicant, quo sui animi cogitatus, atque intimos sensus illis praestantibus viris dedicare, omnesque animi meditationes, & studiorum labores nuncupare volunt, à quibus beneficia benigne collata receperunt, quibusque multis de causis obstringuntur. Nam si cuiusquam nomen nostris est illustrandum ac celebrandum scriptis, cui potius quam benigno benefactori, id officij praestandum esse censebimus? Perfecit itaque Rex pietissime, utraque ratio, ut opus istud in tuo tandem nomine appareret. In te enim & splendidissimam generis nobilitatem cum insigni erga me munificentia coniunctam intueor. Generosissimam autem tuam nobilitatem quis nesciat ipso sole esse clariorem. Siquidem te prognatum probe nouimus, ex illa omnium illustrissima antiquissimaque Archiducum Austriae domo, ex incomparabili generis splendore, paterno atque auito, regijs imperatorijsque imaginibus sic insigni, ut ipsum quasi haereditaria quadam successione tot genuerit, dederitque Archiduces, Reges, Caesares & Imperatores, quot vix ex equo quondam Troiano proceres exilierunt, & virtute quidem, huiusque laude multo istis praecellentiores, ut quos sic pacis, sic belli heroica gesta nobilitarunt, ut cuius veterum heroum possint non solum conferri, verum etiam longe anteferri. Iam vero qui posses ab isto tuo plusquam inclyto genere degenerare, cum vel natura fortes creentur è fortibus & bonis, nec imbellem columbam feroces progenerent aquilae. Tu vero tot, tamque excellentibus virtutibus tuo generi inclyto, stemmatique tuo incomparabili ita respondes, ut illos tuos illustrissimos progenitores ad omnia, & in omnibus plane referas. Fuit quidem ex Austriae domo vetustissimus rex Rodolphus, & clementissimus & fortunatissimus appellatus. Albertus primus Archidux Austriae dictus est victoriosus, à multis victorijs, quas ab hoste tulit, Albertus appellatus est sapiens; erat enim princeps prudentia insigni. Leopoldus, probus est dictus. Ernestus vero pacificus. Fridericus Caesar, vocatus est & magnificus & pacificus Imperator. Maximilianus Imperator nuncupatus est inuictus & gloriosus; cuius virtutes & praecleara facinora, nulla umquam lingua eloqui poterit. Philippus, eius filius, Hispaniarum Rex: ex nuptijs Ioannae regis Ferdinandi Aragonij filiae, Hispaniarum regna consequutus est. Carolus Imperator huius nominis quintus, pater tuus, pius, felix, semper Augustus celebratur; sub quo Franciscus Gallorum Rex, bello apud Papiam victus, captus, & in Hispanias abductus est. Sed Caesaris clementia dimissus. Magna quidem, & egregia virtutis specimina ipse praebuit. Huius egregij Caesaris, aliorumque, Austriae do-

mus,